

nem ignis intentionalem, ut scilicet Angeli damnati meditentur s. perpetuò cognoscant ignem. Sed hæc actio quoq; non videtur sufficere ad Angelorum cruciatus. Alii putant ignem agere in Angelos per veram combustionem: Sed probari non potest hæc sententia, cum nondum sit probatum, Angelos esse objectum proportionatum combustionis. Videtur dicendum, quod Angelis quidem præparatus sit ignis ille, ut testatur Scriptura, quod autem in Angelos agere debeat actione materiali & corporeâ, sicut aliàs ignis agit in corpora, id ex Scripturâ demonstrari non potest, multò minus ex ratione. Ad (7.) Respondetur negando, quod Gen. 6. per filios DEI intelligantur Angeli, sed homines intelligi res ipsa loquitur, quando quidem in promiscua hominum multitudine vitam duxerunt & filias hominum sibi elegerunt uxores. Sciendum igitur, quod per filios DEI h. l. intelligantur Filii magnatum, potentum, qui pro libitu pulciores de plebe puellas respexerunt sibi que uxores duxerunt invitis sæpe Parentibus, quod ipsum ibi vitio vertitur ipsis. Ad (8) Respondetur negando, quod Angeli delectentur odoribus, ita ut sensu eos percipiant. Quod attinet sacrificia gentilium, ex quibus constare videtur, Diabolum delectatum fuisse odoribus Respondetur, delectatus fuit obsequiò Gentilium, ex quò tot ac tanta sacrificia eorumque odores proveniebant, unde consequenter dicitur, quod ipsis etiam odoribus delectatus fuerit.

§. 25. Sicut simplicitate inter *Θεοφύλακτα* eminent Angeli cum primis, ita quoque duratione. Ubi observatu dignum esse censemus, ex lumine Naturæ non constare utrum Angeli sint ab æterno creati nec ne? Siquidem ab æterno aliquid produci a Deo potuisse, & creaturam esse æternam, non involvere rationes contradicentes *B. Stevogrius in Disp. 2. de Creatione in genere asseverat*, idque per subsequens Dilem.